DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
RHEUMATISMO.

21

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS DE RHEUMATISMO;

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu, et

Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ALEXANDER MACDONALD,

SCOTUS.

Prid. Id. Septembris, horâ locoque solitis.

———— *Thus winter falls*
A heavy gloom oppressive o'er the world,
Thro' nature shedding influence malign,
And rouses up the seeds of dark disease.

THOMSON's Seasons.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

1805.

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

AVUNCULO

NORMANDO MACDONALD,

DE BERNISDALE, ARMIGERO,

HOC

ANIMI NON IMMEMORIS

PERLEVE MONUMENTUM,

SUMMA REVERENTIA;

OFFERT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

RHEUMATISMO.

RHEUMATISMI, quem pro hujus tentaminis argumento selegi, inter omnes constat duas esse species, acutam scilicet, atque chronicam. *RHEUMATISMUS ACUTUS* sic a celeberrimo CULLENO definitur:

" Morbus ab externa et plerumque evi-
" dente causa; *pyrexia;* dolor circa articu-
" los, musculorum tractum sequens, genua et

 " reliquos

" reliquos majores, potiùs quàm pedum vel
" manuum articulos, infestans, calore externo
" auctus."

HISTORIA MORBI.

In regionibus frigidis humidis, omni tempore anni, præcipuè autumno et vere, grassatur; in temperatis et in calidis rariùs semet ostendit. Homines quolibet temperamento, sed potissimùm sanguineo præditi, inter pubertatem et annum ætatis quadragesimum, rheumatismo obnoxii evadunt. Sexum utrumque, verò fœminas sæpiùs quàm mares, exercet.

Morbum imprimis insigniunt artuum dolores, hos solos plerumque, sed partes musculares quoque interdum afficientes. Dolores, artus majores, præ cæteris, infestant, scilicet, humeros, cubitos, coxas, genua; et creberrimè, secundum musculorum decursum, ab uno artu ad alium semet extendunt; et semper actione musculorum,

musculorum, qui artûs, vel artuum, laborantium proprii sunt, plurimùm intenduntur. Tali et carpi quoque sæpè torquentur; articuli verò minores rariùs afficiuntur. Morbus unâ corporis parte interdum continetur; multas tamen sæpiùs afficit. Rebus ita se habentibus, rigor, languor, et sensus frigoris, oriuntur; quibus haud ita multò pòst, calor major, inquietudo, sitis, anxietas, et ictus arteriarum pleni et duri, superveniunt. Cutis est calida et sicca; facies interdum rubescit; cibi appetitus ferè prosternitur. *Pyrexia* nonnunquam semet ostendit, antequam ulli dolores percipiuntur: dolores autem sæpiùs in partibus quibusdam sentiuntur, priusquam ulla febris signa observantur. *Pyrexia* est interdum lenis, et dolor unum vel alterum artuum solummodò infestat. Si verò febris vehementer urgeat, dolor, quanquam in uno artu potissimùm fixus manere potest, complures alios eodem tempore sæpissimè occupat, et huc illuc vagatur, donec forsitan universas corporis juncturas majores, alias post alias, tentavit. Eundem plerumque non diu tenet, sed locum

sæpè

sæpè mutat, et artus priùs affectos aliquando repetit. Hoc modo, longum per tempus sæpè producitur morbus. *Pyrexia* raró, quidem, ultra duas vel tres hebdomadas graviter urget. Quæ febris rheumatismum comitatur, ea unoquoque vespere ingravescit, et noctu maximè sævit, et hoc tempore dolores, calore lecti, vel potiùs fortassè exacerbatione febrili, graviores evadunt, et ad sedem suam mutandam maximè proclives sunt ; undè ægrotus totam noctem sæpè insomnis agit.

Postquam artus aliquandiu dolore fuit tentatus, plerumque quoque rubescit, tumescit, et tactui dolet. Hinc dolores, qui nunc non tam facilè sedem mutant, sæpissimè levantur, vel omninò tolluntur ; sed pauló pòst ad artum eundem reverti, vel alios artus invadere possunt.

Morbus sudatione plerumque stipatur, quæ brevi post initium oritur. Raró veró universa aut copiosa est, et raró quoque dolores levat.

Per morbi decursum, urina varia est, sed sæpè coloris rubri, et nullum sedimentum deponit.

ponit. Cæterùm, morbo progrediente et *pyrexiâ* longiores remissiones adeptâ, sedimentum, pulverem lateritium referens, deponit. Hoc verò morbum minimè solvit, namque sæpè diu pervicax manet, postquam sedimentum hujusmodi in urina semet ostendit. Alvus per totum morbi spatium astricta est. Sanguis è vena missus, omnia signa *phlegmasiis* propria ostendit. Æger tussi plerumque vexatur, quæ omnia signa graviora reddit.

Hic morbus, plerumque resolutione finitur, rarissimè quidem (cæteras licèt *phlegmasias* plurimùm referat) in suppurationem abit. Morbus quidem, ut humor pellucidus *gelatinosus* in ligamenta capsularia, aut in bursas mucosas, aut in musculorum vaginas, effundatur, aliquando facit. Hic, secundum observationem ill. CULLENI, plerumque absorbetur; sin autem, morbo diu graviterque æger cruciatus fuerit, humor effusus indurescit, et artus rigidus et debilis fit.

Si *pyrexia* omninò cessat; si tumor artuum et rubor decedunt, sed dolores varias partes vexare pergunt, quæ frigidæ, rigidæ fiunt et arescunt;

arescunt; *RHEUMATISMUM CHRONICUM* adesse, dicere licet; cujus definitio à CULLENO data, nobis hunc morbi statum luculenter ostendit:

"Post rheumatismum, nisum violentum, "vel subluxationem; dolores artuum vel "musculorum, sub motu præsertim, aucti, "plùs minùsve fugaces, calore lecti vel alio "externo levati; artus debiles, rigidi, facilè "et sæpè sponte frigescentes; *pyrexia* nulla; "tumor plerumque nullus."

DE CAUSIS PRÆDISPONENTIBUS.

Diathesin phlogisticam mortales huic morbo opportunos efficere, observatio et experientia docent. Res, igitur, quæ plenitudinem et *diathesin phlogisticam* augent, fugiendæ; scilicet desidia, ratio victûs plenior, sanguinis detractio solita neglecta, per cutem exhalatio minuta, menses vel hæmorrhoides suppressi.

Porrò, omnia quotquot corpus debilitant ac relaxant, aut irritabilius reddunt, utì ingens salivæ

salivæ fluxus ab hydrargyro nimio, ebrietas, Venus immoderata, morbi prægressi, usus lavationis calidæ nimis frequens, et *tonica* medicamenta diu continuata, causæ prædisponentes habentur.

DE CAUSIS EXCITANTIBUS.

Inter has, frigus ritè præcipuum habendum est: cum humiditate conjunctum, frigus corpori nimis calefacto potissimùm nocet, quippè humiditas protinùs in vaporem convertitur; inde vis frigoris augetur. Hoc, verò ut corpori noxam inferre possit, infra gradum sexagesimum secundum Fahrenheitii descendat, et, diu corpori applicetur, oportet. Non opus est, ut corpus universum frigori objiciatur; sufficit ut ad quamlibet partem ejus admoveatur. Hinc plurimi rheumatismum, quo conflictantur, vestimentis uvidis tribuerunt.

DIAGNOSIS.

DIAGNOSIS.

Morbi, quibus rheumatismus confundi potest, sunt podagra, *syphilis*, et scorbutus. Hîc itaque loci, quibus rebus a se invicem differant, exponere oportet.

Non parum similitudinis rheumatismum inter et podagram evidenter intercedit: satis certò tamen dignosci possunt. Rheumatismus a causa externa et plerumque evidente, nempè frigore et humore, oritur; podagra ex labe aliqua hæreditaria, affectionibus viscerum internorum, præcipuè stomachi, cum pluribus signorum pravæ concoctionis, impetum præcedentibus. Rheumatismus mediam circiter ætatem desinit, quâ podagra sæpissimè incipit. Rheumatismus artus majores, rarissimè minores, et superiores sæpiùs quàm inferiores, occupat: Podagra, contrà, minores et inferiores exercet, et uno, ut pollice pedis, sæpè circumscribitur. Rheumatismus, verò, uno articulo semet rariùs continet; sed huc illuc

vagatur,

vagatur, musculorum cursum sequens. In utroque morbo, dolores satis similes sunt; sed in podagra profundiores forsan sedeant, et statis temporibus interdum reverti solent. Alia indicia quibus hi morbi secernantur, afferri possunt; sed quæ modò posui, me judice, plerumque sufficiunt.

Dolores a lue venerea proficiscentes ossa media et durissima, ut cranium tibiamve, occupant; et alia morbi signa aut antecedunt, aut comitantur: in rheumatismo, ossa extrema vel artus invadunt, et tractum musculorum sequuntur: denique, in lue, partes, ubi dolores sedent, non tactui dolent, ut in rheumatismo incidit.

Quantùm scorbutum spectat, hunc a rheumatismo evidenter secernunt, gingivarum mollities, sudores fœtidi, spiritus ingratus, lassitudo et debilitas insignes; maculæ in cute diversicolores, plerumque livescentes, præsertim ad pilorum radices, et profusiones sanguineæ variæ, quæ scorbuto nunquam desunt. His verò omnibus destituuntur dolores, qui a rheumatismo profluunt.

PROGNOSIS.

Rheumatismus, dum corpus externum tenet, raró mortiferus est. Nonnunquam a sede solita ad caput, pulmones, et alia viscera interna, migrare fertur, et apoplexiam, paralysin, pneumoniam, morbosque similes, facere. Hoc veró si evenit, morbus, ut nonnulli opinantur, pro arthritidis specie, potiùs quàm rheumatismo, haberi debet.

Si febris non vehementer urget, et dolores, rubore et tumore artuum affectorum, leniuntur; si somnus altus, sudore universo copioso stipatus, obrepit; si ictus arteriarum molles et ferè naturales sunt, exitum morbi faustum fore, pro certo prædicere licet.

Cùm veró, hominem, ætate benè provectum, invadit, cui vires gravitate ejus convulsæ sint; cùm diu perstitit, et dolores uni vel alteri artuum affixi manent, prognosin dubiam, et nulla ex parte faustam, esse oportet. Namque

que non parùm timendum est, ne, rebus ita se habentibus, in rheumatismum chronicum pertinacem, paralysin insanabilem, rigiditatem vel forsitan artûs laborantis *anchylosin*, transeat.

RATIO MEDENDI.

Consilia rheumatismo acuto medendi sunt,

1. *Diathesin phlogisticam* totius corporis, præsertim artuum dolentium, tollere.

2. Halitum cutis generalem restituere, vel spasmum solvere.

3. Nimiam systematis universi mobilitatem compescere.

I. Regimen *antiphlogisticum*, ad primum consilium absolvendum, imprimis necessarium est. In stimulis irritamentisque omnibus, sive externis sive internis, ut calore nimio, siti, alvi duritie, cibis concoctu difficilibus, exercitatione, sive corporis sive animi, &c. evitandis,

tandis, consistit. Ægrotanti usu cibi animalis ex toto interdicatur. Insuper omnibus liquoribus valentioribus et fermentatis, abstineat : Sitis verò liquoribus diluentibus lenissimis, liberaliter sumptis, restinguatur. Æger tamen nunquam ad potionem, nisi siti urgenti, decurrat ; alioquin brevi sensus molestiæ et oppressionis in ventriculo ingratus orietur. Farinaceis solis et lacte, utpote quæ systema minimè stimulent, victitet.

Spes verò in sanguinis detractione potissimùm collocanda. Ad hanc sub initium morbi, cùm maximè juvat, constanter decurratur. Sanguis è venâ magnâ, amplo vulnere inflicto, ad quatuordecim vel sedecim uncias, si æger sit adultus, cum pulso duro atque valido, emittatur ; namque quò magis subitò detrahitur, eò plùs, systema sanguiferum relaxando, prodest. Duodecim circiter horis elapsis, si febris et alia signa urgere pergant, ad alteram sanguinis detractionem confugi potest. Quanquam regula nulla certa et definita de quantitate sanguinis emittenda tradi potest, pulsu tamen arteriarum, gravitate doloris,

ris, sexu, plenitudine, temperamento, viribus ægri, medicus, utilisne an inutilis sit detractio sanguinis, judicabit. Nam, si in usu hujusce evacuationis nimis diu perstetur, mala horrenda oriri consuêrunt; debilitas summa, rheumatismus chronicus pertinacissimus, hydrops, &c. Cùm tantum sanguinis è venis emissum est, quantum medicus prudens et expertus detrahendum putaret; cùm dolor iterum ad unum alterumve artuum redit; paulum sanguinis ex artubus dolentibus, magno cum fructu, detrahi potest. Hoc consilio adhibentur hirudines, vel *cucurbitulæ* cruentæ.

Purgatio alvi, utpote quæ systema potenter depleat, primo intuitu, quàm maximè convenire videtur; sed morbo graviter urgente, catharticorum usus ægrotanti molestus sit, nec in imminuenda *diathesi phlogistica* totius corporis admodum pollet. Eodem tempore verò cavendum est, ne irritatio ulla ab alvi duritie oriatur, et signa inde exasperentur. Omni hujusmodi incommodo facilè occurrent enemata emollientia, in alvum immissa. Si hæc autem admodum fuerit a-

stricta,

stricta, ad aliquos è salibus mediis refrigerantibus confugiatur.

II. *Halitum cutis generalem restituere; vel spasmum solvere.*—Postquam sanguinis missio systema vasculosum deplevit, huic consilio medicamentis, quæ sudorem excitant, respondere conandum est. Eundem verò vel medicamenta calefacientia et stimulantia dando, vel corpus nimio stragulorum pondere onerando, nunquam extorquere oportet; namque prorúmpere hoc modo coactus, febrem violentiorem efficit. Cæterùm, consilio optimè respondebit compositum, quod pulvis *ipecacuanhæ* et opii appellatur. Sudor quàm lenissimè semper excitetur. Igitur a dosi pulveris magna non incipiendum est. Decem aut duodecim grana adhibeantur, et omni horâ, aut circiter, repetantur, donec sudor eruperit. Sudore generali excitato, diluentia omnigena, potissimùm ea quæ minimè stimulant, liberaliter sunt adhibenda. Si sudorem diminui reperiamus, viginti aut triginta guttæ vini *tartritis* antimonii, vel vini

vini *ipecacuanhæ*, quibus totidem tincturæ opii sunt adjunctæ, sub forma haustûs, sumendæ. Hoc modo, sudor in viginti quatuor vel quadraginta octo, si opus sit, horas conservari potest. Quantùm verò hoc spectat, levatione quàm doloribus comparaverit, et viribus ægroti, ex toto regi debemus. Cùm pedes penitùs sicci manent, vesicas aquâ calidâ repletas, vel lateres calefactos pannisque involutos, iis circumdare conveniet; quod plerumque, ut sudor ibi satis copiosus oriatur, faciet. Æger in stragulis laneis collocetur indusiumque laneum induat, ne sudor, cùm profluere incipit, frigore, quod lintea humida corpori impertiuntur, reprimatur.

Cùm febris remediis jam dictis curata fuerit, dolor nonnunquam perstat, cum partis debilitate et frigoris quodam sensu. Rebus ita se habentibus, timendum est, ne rheumatismus chronicus evadat. *Epispastica*, parti dolenti applicata, optima remedia esse videntur. Hæc vim stimulantem et antispas-

modicam

modicam habent, unde in usum hujusce morbi inventa fuisse videntur.

III. *Nimiam systematis universi mobilitatem compescere.*—Hoc consilium, utpote quod ad rheumatismum acutum ex toto depellendum, et ad chronico occurrendum, admodum necessarium est, medici attentionem jure sibi vindicat. Cùm duo priora consilia completa sunt, et dolores plùs minùsve fugaces redeunt, et ægrum vexant, haustus tincturæ opii ad guttas triginta vel amplius, bis in die, et tincturæ guaiaci drachma, cum tincturæ opii guttis viginti, horâ somni sumenda. In hoc morbi statu, extracti etiam hyoscyami nigri granum, bis vel ter in die sumptum, alvum modicè solutam tenere, et dolores fugare potest.

Si æger debilitate solâ laborat, *cinchonæ officinalis* semidrachma, ter in die, magno cum commodo adhiberi potest. Sub pleno Jove convalescens, benè vestitus, sese, quotidie, citra fatigationem exercere debet.

His

His de rheumatismo acuto traditis, proximum est, ut pauca de rheumatismo chronico dicamus.

Consilia RHEUMATISMO CHRONICO medendi, duo esse videntur; scilicet, *tonum* aut vigorem parti laboranti reddere; et spasmo eandem liberare.

Balneum frigidum, ad vigorem solitum reddendum, haud parùm valet. Utilitas verò ejus, à modo quo adhibetur, maximè pendet. Æger, si in balneo infra gradum *thermometri* FAHR. 62^mum^, subitò immersus, et statim benè defrictus, ac in lecto sit positus, ut halitus cutis præsertim partis affectæ educatur, multum commodi accipere potest.

Electricitas, formâ scintillarum, vel succussionum, in hunc morbum magnoperè pollet. Nihil, quod adhibetur, animalium corpora ociùs vehementiùsve stimulat. Ut multum fructûs tamen percipiatur, gradu modico, et

per complures hebdomadas, vel etiam menses, adhibeatur oportet.

Exercitatio, uti ab experientia discimus, ad corpus corroborandum multùm confert. Equitatio imprimis, in hoc morbo utilis est; namque longa itinera hoc modo facta, plurimos, qui eo diu fuerant conflictati, ex toto restituerunt.

Frictio, sive nudâ manu, sive strigili, sive laneis, iis multùm prodest, qui rheumatismo chronico affecti sunt. Quò fricatio magis incitet, tinctura saponis cum opio, vel oleum *ammoniatum*, vel oleum *camphoratum*, partibus affectis applicentur. His rebus vasa stimulantur, et spasmus eodem tempore multùm relaxatur.

Epispastica, hoc in morbo multùm proficiunt. Hæc, eidem loco, prout cuticula renovata permittit, sæpè applicata, dolorem pertinacissimum haud rarò fugavêre.

Balneum calidum, quod solida simplicia laxiora efficit, fibras musculorum stimulat, ad spasmos relaxandos multùm valet. Si vapores ab aquâ calidâ ascendentes, partibus affectis applicentur,

applicentur, potentiores edent effectus. Aqua calida in artum laborantem tenui rivo fusa ab alto, magnum commodum fert. Thermæ quoque remediis efficacibus annumerantur, quibus occurrendum est iis, qui hoc morbo laborant ; et multùm pòst prosunt, quàm frustrà succurrit ars medicinalis. At verò non ex thermis solùm et balneis, æger commodum accipere potest, sed etiam ex calidâ arenâ, vel sale calido, ad artum dolentem applicatis.

Stimulantia interna, simul cum remediis jam dictis, ad effectus eorum adjuvandum adhiberi possunt. Multa hujusmodi medicamenta potentia, Materia Medica comprehendit ; qualia sunt, gummi guaiacum *officinale*, oleum terebinthinæ volatile purissimum, *conium* maculatum, *sub-murias* hydrargyri, &c. Hæc corpus stimulant, et halitum cutis educunt.

Causæ morbum excitantes sedulò evitandæ sunt ; præcipuè, habitu nostri cœli vario, indusio laneo utatur oportet æger.

FINIS.